V S V S.

A Chriſto itaq; conſilium in rebus adverſis atq; vocatione noſtrâ petamus oportet.

3. *DEVS fortis.* In germanico; Krafft/ Heldt. Data enim eſt ipſi õnis poteſtas. Mat:28.

V S V S.

1. Soletur itaq; nos fortitudo atq; omnipotentia pueri nobis nati in omni periculo. Si enim js pro nobis, quis contra nos erit? Rom: 8.

2. Auxilioq́; filij nobis dati freti, non Deos alienos ſequamur. Exo:20.

4. *Pater æternitatis*, reſpectu affectionis ſuæ erga nos. Eſa: 49.

V S V S.

Ex quo titulo ingens conſolatio in nos promanat.

Notetur etiam, quod vocabulum Patris, interdum generaliter ſumatur, ut in hoc loco. Item, in oratione Dominicâ, &c. Et in hoc ſignificatu, omnibus tribus Deitatis Perſonis attribuitur propter paternum erga nos affectum: interdum vero ſpecialiter, & tunc perſona intelligitur, qui Filium ab æterno genuit, ut in primo Articulo Symboli Apoſtolici.

οὐσιωδῶς

ὑποστατικῶς